



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 72. Franciscus Xaverius ad Goanum portum appulsus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

posset, ut proin illa variis correctio- Sæcul. XVI.  
num modis, atque opposita auctoritate A. C. 1542.  
temperanda foret.

§. LXXII.

*Franciscus Xaverius ad Goanum  
portum appulus.*

Interim Franciscus Xaverius hyeme Mozambici transacta tandem ad Goa- num portum applicuit. Est Goa Indiæ Metropolis ad occidentalem plagam in Peninsula citra Gangem sita, quæ pulchritudine, ac commercio ceteras Orientis urbes longe antecellit, iliusque Episcopus tunc temporis erat Joannes Albuquerius Vir e S. Francisci familia pariter religione ac doctrina celebris: ibi igitur, quamprimum Xaverius e navi excederat, mox in regio valetudinario, licet invito etiam Pro-Rege, qui eidem in suo Palatio diuersorium parabat, sedem fixit, postea vero Vir Apostolicus Episcopum officiosa salutatione prævenit, eidemque literas Apostolicæ legationis sibi a Papa demandatae testes exhibuit, atque ad ejus pedes provolutus, ea omnia se ei tradere, nec secus, quam sub Epi- scopi auspicijs ac beneplacito data po- testate se usurum ajebat. Albuquer-

Sæcul. XVI cius tantam Viri demissionem ac mo-  
A.C. 1542. destiam admiratus eundem tenero am-  
plexu honoravit, eidemque Diplomi  
reddidit, affirmans, quod libere ac ple-  
ne facultatibus sibi a Sede Apostolica  
datis uti posset.

## §. LXXIII.

*Xaverii labores Apostolici in  
India.*

*Turcet. l. 2.  
c. 2. & 3.* Cum igitur Xaverius ad prædican-  
dum Christi Evangelium legitima-  
frueretur auctoritate, mox ad meden-  
dum malis, quæ ipsi graviora videban-  
tur, Apostolicam sollicitudinem inten-  
dere cœpit: Unde ægrotantibus in Xe-  
nodoxio omni ope inservire statuit,  
ibidemque eo consilio pernoctavit, ut  
illos Christianæ vitæ præceptis suo ex-  
emplo imbueret, eosque ad supremam  
luctam præpararet: Post meridiem pau-  
peres in custodiis vinctos visitans stipe  
apud cives corrogata juvabat, nec non  
circumibat cunctas cum tintinnabulo  
plateas, parentesque hortabatur, ut  
liberos suos, servosque ad Christianam  
Doctrinam dimitterent: postquam ve-  
ro patrii idiomatis usum satis expeditum  
habere cœperat, publice facris  
concionibus populum turmatim con-  
fluen-